



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Vtrum in perfectione staturæ & vsu membrorum procreantur filii. D

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



De termino illius inferioris vitæ, vtrum natis filiis  
per successiones, an simul omnes transferendi  
essent. C

Determino vero tēporis quo transferrentur ad  
spiritualem, cœlestemq; vitā, certum aliquid scri-  
ptura nō tradit. Et ideo ambiguum est vtrum pa-  
rētes genitis filiis perfecta q; humani officii iusti-  
tia, ad meliorem statum transferrentur, non per  
mortem, sed per aliquam mutationem: an patres  
in aliquo statu vitæ remanerent, ligno vitæ vten-  
tes, donec filij ad eundē peruenirent: & sic imple-  
to numero omnes simul ad meliora transferan-  
tur, vt essent sicut sancti angeli in cœlis. De quo  
August. ambiguè differit, super Gen. ita inquit.  
Potuerunt primi homines in paradyso filios gignere: non vt morientibus patribus succederent fi-  
lij, sed in aliquo formæ statu manentibus, & deli-  
gno vitæ vigorem sumentibus, & filij ad eundem  
perducerentur statum, donec impleto numero si-  
ne morte animalium corpora in aliā qualitatem  
transirent, in qua omnino regenti spiritui deser-  
uirent, & solo spiritu viuificante, sine corporeis a-  
limentis viuerent. Vel potuerunt parētes filiis ce-  
dere, vt per successionem numerus impleretur:  
qui genitis filiis perfecta q; humani officii iustitia,  
ad meliora trāsferrentur, nō per mortem, sed per  
aliquā mutationem. Ecce hic habem⁹ de transitu  
hominis ad meliora, sed incertum nobis relinqui-  
tur, vtrū simul trāsferantur, an per successiones.  
Quales procrearent filios, vtrum perfectionem staturæ & v-  
sum membrorum habentes, qualis homo primus fuit  
conditus. D

Sivero quæritur. Quales, si nō peccasset homo,  
filios genuisset? vtrum videlicet, sicut ipse primus  
homo secundum naturā corporis & vsum mem-  
brorum perfectus mox cōditus extitit, ita etiam  
ei⁹ filij in ipso natiuitatis exordio pfecti existerēt:  
qui

Aug. cap 3.  
ad medium.  
lib. 9. de Gen.  
ad literam.

Aug. li. eo.  
9. cap. 6. in  
principio.



qui ambulare & loqui, & cuncta facere possent  
 Responderi potest, quod filios paruulos nasci o-  
 portebat, propter materni uteri necessitatem. sed  
 vtrum mox nati perfectionem stature & mēbro-  
 tum vsu habent, an paruuli & in minore ætate  
 cōstituti, vti possent membrorum officiis, an per  
 interualla temporum eo modo, quo nunc fit, per-  
 fectionem stature, & vsu membrorum receptu-  
 ri essent, de auctoritatibus definitū nō habemus.

*Ambigua Aug. verba ponit vbi tamen videtur innuere, quod  
 filii & paruuli possent membrorum vti officiis.* E

Et super hoc Augustinus ambigue loquitur. Mo-  
 uet, inquit, si primi homines non peccassent, vtrū  
 tales filios essent habituri, qui nec lingua, nec ma-  
 nibus nec pedibus vterentur. Nam propter vteri  
 necessitatē, forte necesse erat paruulos nasci: sed  
 quāuis exigua pars corporis sit costa, non tamen  
 propter hoc paruulam viro coniugem fecit: vnde  
 & eius filios poterat omnipotēti a creatoris mox  
 natos, grandes facere. Sed vt hoc omittam, po-  
 terat certe eis præstare, quod multis animalibus  
 præstitit: quorum pulli, quamuis sint paruuli, ta-  
 men mox vt nascuntur currunt, & matrē sequun-  
 tur. Cōtra, homini nato nec ad incessum pedes i-  
 donei sūt, nec man<sup>us</sup> saltē ad scalpēdū habiles, & iu-  
 xta se māmīs positīs nascentes, magis possūt esu-  
 riētes flere quā surgere: proprieq; infirmitati mē-  
 ris cōgruit hec infirmitas carnis. His verbis vide-  
 tur insinuari, quod filii etiam paruuli, officiis  
 membrorum valerent vti.

*Quibusdam non absurde placuit, quod filii parui nasceren-  
 tur, & per accessum temporis in statura, & in aliis si-  
 cut nunc proficerent, quod non esset vitio impu-  
 tandum.* F

Sed cum August. sub assertione de his nihil tra-  
 dat, nō irrationabiliter quibusdā placuit primo-  
 rū parētū filios nascituros paruos, ac deinde per  
 inter-

*Aug. ca. 17.  
 li. 1. de pec-  
 catorū me-  
 ritis & re-  
 missione &  
 de baptis-  
 mo paru-  
 lorū. tom. 7.*

*Aug. ca. 18.  
 eiusdem, li.  
 1. de pecca-  
 torum me-  
 ritis & re-  
 missione.  
 tom. 7.*